

dieser Vorlage und allen sonst bekannten Darstellungen der Kaiserkrönung in einer bezeichnenden Weise ab:

Ann. Laureshamenses a. 801
(MG. SS. 1, 38)

Et quia iam tunc cessabat a parte Graecorum nomen imperatoris, et femineum imperium apud se abebant, tunc visum est et ipso apostolico Leoni et universis sanctis patribus qui in ipso concilio aderant, seu reliquo christiano populo, ut ipsum Carolum regem Franc(h)orum imperatorem nominare debuissent, qui ipsam Romam tenebat, ubi semper Caesares sedere soliti erant, seu reliquas sedes quas ipse per Italiam seu Galliam nec non et Germaniam tenebat; quia Deus omnipotens has omnes sedes in potestate eius concessit, ideo iustum eis esse videbatur, ut ipse cum Dei adiutorio et universo christiano populo petente ipsum nomen aberet. Quorum petitionem ipse rex Karolus denegare noluit, sed cum omni humilitate subiectus Deo et petitione sacerdotum et universi christiani populi in ipsa nativitate domini nostri Jesu Christi ipsum nomen imperatoris cum consecratione domni Leonis papae suscepit. Et ibi primis omnium ipsam sanctam ecclesiam Romanam de ea discordia quam inter se abuerant, ad pacem et concordiam revocavit, et ibi celebravit pascha...

Vita Willehadi c. 5
(MG. SS. 2, 381)

Hoc itaque factum est anno incarnationis Domini 781^o, regni vero memorati principis Karoli 14^{mo}, qui tamen necdum imperialis fuerat apice sublimatus. Quem postea per manus reverentissimi Leonis apostolici imperatorem Romae consecratum anno regni eius 34^o catholica Europae consistens Christi venerata pariter et gratulabunda suscepit ecclesia. Siquidem imperialis potestas, quae post Constantinum piissimum augustum apud Graecos in Constantinôpolitana hactenus regnaverat sede, cum deficientibus iam inibi viris regalis prosapiae, feminea magis dicione (directione) res administraretur publica, temporibus ipsius per electionem Romani populi in maximo episcoporum aliorumque Dei servorum concilio, ad Francorum translatum est dominium; quoniam ipse et eandem quae caput imperii fuerat, et multas alias tunc in orbe videbatur tenere provincias; ob quod et iure caesarea dignus esset appellatione.